

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XXXI

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

CAPUT XXXI.  
DE FERRO.

**M**etallorum omnium vena ferti largissima est. Cantabrix maritime parte, quam Oceanus alluit, mons præruptè altus, incredibile dictu, totus ex ea est materia. *Plin. l. 34. cap. 14.* Rarum in India. Hinc ferri quatuordecim libras ducentis quinquaginta auri, juxta Insulam Zabur permutatas fuisse scribitur. *Pegafsetta.* Nascebatur quondam in China Azzalum Indicum dictum, adeoque bonæ temperaturæ in acie, ut quodlibet incideret ferrum. *Pancirol. l. de Novis reperiis.* In Sicilia & Lusatia effossum nova incrementa accipit, & terra arborumque trunci, ferti, in incremento, acquirunt materiam. Liquori denso primò illa similis, magis magisque indurefcit postea. *Agricola in observat. metall.* Cum excoquitur aquæ modo liquefcit, postea in spongias frangitur. Tenuiora ferramenta oleo restingui mos est, ne aqua in fragilitatem durentur. *Plin. lib. citato.* At in Insula Palmosa fundi nequit; quin & in Æthalia. *Strabo. l. 15. Eertius in descript. Ilva.* Aceto & alumine illitum fit æsi simile. Smolnicii (oppidum est montis Carpathi) ex puteo extrahitur aqua, & in locatos triplici ordine infunditur canales, in quibus ferri portiones in æs vertuntur. *Agricola de Metall.* Minutum autem quod in sine canalium locatur ferrum, talis aqua ita exedit, ut fiat quasi quoddam lutum. Id in fornacibus postea excoctum, æs purum bonumque redditur. Omni cupro amicissimum est ut simul juncta mutuò sese amplectantur. Poëtaræ Veneris & Martis implicavere fabellis. *Minder. de Vitriolo cap. 1.* Aristonides cum exprimere vellet Athamantis Clearchum filium præcipitare volentis furorem, & præcipitato illo residentis pœnitentiam, ferrum & æs miscuit, ut rubigine ejus pernitorem æris relucente, verecundiæ exprimeretur pudor. *Plinius lib. citato.* Aqua immersum candens

dens in chalybem facessit, aceto malleos respuit, ut frangatur potius quam duci possit. Hinc Lacedæmoniis mos numismata ex ferreis conflare baculis, aceto mergere candentia, ne, fragilia reddita, in alios depromerentur usus. *Plutarch. in Lycurgo.* Causa si quaeritur, acetum intimos ferri subire meatus dicendum est. *Bodinus. l. 2. Theatri.* In fornacibus quibus in massas componitur, tanti à percussio vapores, ut lanugo quædam sensim augeri videatur; quæ à pariete multiplicata dependet. *Albert. Magn. in libris de Animal.* Ejus tanta vis est, ut nunquam aduri possit ignibus. In orbe novo herba est cui nomen Cabuja seu Hentquen, ex illius frondibus filum subrufum admixta arena, ferrum secat. *Ovetan. histor. l. 7. c. 10.* Squamma ferri siccandi vim habet. Calceis imponunt qui graves odore habent pedes. Flos vero ferri candidissimus est & levis, ramulos interdum habens corallio similes florum interdum subtiles nexu. Fiunt ex eo globi, qui è tormentis mittuntur.

## CAPUT XXXII. DE CARNE FOSSILI.

**A**ndreas Libavius vir de re Medica & Physica meritisissimus, narratum olim fide Ienenfium Schroterorum ait, ad vallum Erfurdicum juxta portam Divi Andree, occasione valli in altiolem molem attollendi, carnis crudæ, haud exigua eruta frustra fuisse: illamque musculosam bubulæ quam simillimam (nisi quod ossibus careret) fuisse, Hubnerus in Epistola ad Libavium affirmat. Sed quia die Iovis se tantum offerre, fossiles garriebant, suspicio fraudis in prudentiorum animis orta est; & postea astu detecta, impostores carceri mancipavit. Quamvis autem hic impostura Carnem fossilem nobis objecerit: non est tamen absurdum dicere, cum Libavio, dari posse eandem, Certissimum est veterum dogma, Terram (addo Aquam) esse matrem animalium quorundam illorumque imperfectorum, quæ homo-